



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1655**

§. 179. Vt crucifigeretur. v. 26.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

morem Romanæ gentis & humanæ mentis crudeliter tractari & flagellari voluisti per totum corpus tuum? O Iesu, ut in eo esset fractura super fracturam, vulnus super vulnus, sanguis super sanguinem, & non esset tibi species hominis neque decor! ut punirem peccata in corpore meo, quibus adhuc flagellor tota die per concupiscentias pravas corporis tui ô homo & ambitum servilem mentis tuæ. Peccat ergo iniquus & homo punitur iustus, quod perpetrat servus exoluit Dominus, quod committit homo hoc sustinet deus. quo nate Dei, quo tua descendit humilitas? quo tua flagravit charitas? quo tua processit pietas, quo pervenit compassio? Ego inique egi tu pœna multaris, ego facinus commisi tu ultione plecteris, ego superbiui tu humiliaris. Ego inobediens exiti, tu in omnibus obedientissimus inobedientiæ scelus luis. Ego uvam acerbam comedi & dentes tui obstupuerunt, O ineffabilis Dei benignitas qua effectum est ut tam chare redimeremur. O mirabilis censuræ conditio & ineffabilis mysterii dispositio.

O Iesu nudate, ô Iesu ligate, ô Iesu flagellate applica obsecro mihi misero peccatori merita tuæ nuditatis ut erubescam denudari ob culpam; ligationis, ut tibi continuo alligatus maneam per veram fidem, spem firmam, charitatem perfectam, & obedientiam; flagellationis, ut & ego libenter & patienter flagella Dei feram.

§. 179. Vt crucifigeretur. v. 26.

Dubium esse potest hoc loco an Christus fuerit à Pilato flagellatus postquam fuerat ab ipso condemnatus ad mortem crucifixionis: quod ut factum sit, certe salutis nostræ causa factum est, uti & ante, quò verberû tanta atrocitate leniret feroces Iudæorum animos & flecteret, & sic emendatum dimitteret, sed cum nil posset proficere apud dura Iudæorum corda, tandem pronuntiavit sententiam mortis, & ut ipsemet scripsit Tiberio Cæsari teste Orosio l. 7. hist. c. 4. ob importunitatem Iudæorum quos compescere aliter non potuerit. Alias eum fuisse virum sanctum & divinum &c. igitur ex ipsius Iudicis Pilati confessione spontanea, condemnatus fuit ab eo in hoc suo iniquissimo iudicio Christus Deus noster, in quo palam accusabat eum invidia, testificabatur odium, condemnabat ambitio, plectebat crudelitas. Nec sine mysterio ad mortem Crucis eum condemnabat, ut hac ratione Mors Christi omnibus innotesceret, si eminenter in monte, & in ligno super mortem elevato contingeret. Ibi abscondita erat fortitudo eius, quia cum putabatur impotentissimus esse, utpote affixus, potentissimus erat, dum ibi commovit terram, obscuravit solem, aperuit monumenta, scidit Petras, movit ad pœnitentiam corda asstantium. Sed & ibidem glorio-



fissimus erat, quia regnare capit à ligno, trahens ad se omnia. O Pilate ubi nunc est potestas tua quam dicebas te habere ad dimittendum & crucifigendum? Timor est potestas tua. times perdere gratiam Cæsaris, times perdere bona temporalia & honores, hæc erat tua potestas.

**R**ex magne Deus noster fortis, & omnipotens, amici tui potentes sunt non inimici, quia cum nil possidere velint in hac vita, nisi quod ipsis competit ex iustitia, ideo non timent perdere omnia propter te visibilia & caduca, ut invisibilia & æterna recipiant. Hinc illi nimis honorati sunt, umbra sua sanarunt homines, verbo erexerunt claudos, &c. Pilatus autem & omnes similes ei revera valde imbecilles sunt, à veribus consumpti sunt.

§. 180. *Tunc milites præsidis suscipientes Iesum in pratorio. v. 27.*

Audita hac sententia crucis Christi à Præside, & data licentia ad flagellandum primo, vidisses undique accurrentes, quasi rabidos canes ad prædam vel ut apes ad pungendum melle illitum, milites circumdantes Iesum, & manum applicantes & dirè religantes, quid enim aliud erat expectandū ab instigatis & emptis ad vindictam per Iudæos, quam ut omnem modum crudelitatis possent in eo exercere, quem uti Iudæum oderant gentiles, & ut iocularem Regem gaudebant irridere, ut olim possent iactare, se Regem aliquem in Iudæa flagellasse. Igitur suscipientes eum è manibus præsidis in tuas (ò duras manus!) non suscipiebant modo, sed trahebant, nec trahebant, sed trudebant ad locum castigationis sc. atrium quoddam. ò quot pugnis interea onustus fuisti? mi Salvator! & quis te ita inhumaniter suscepit, trussit, traxit, pugnis excepit, nisi ego per continua, cheu, peccata mea, & tu pateris, nec contradicis verbum!

**O** Dulcissime Jesu quis sum ego? vilis homuncio, indignus peccator! ut pro me annihilari velis & tam crudelia sufferre. quam pretiosa, quamque chara est ergo in oculis tuis anima mea, pro qua tam insigne das pignus, Corpus scilicet tuum inimicis tuis non ad conversationem civilem, sed ad tractandum sicut ipsi volunt inhumanissimè. ò amor Dei mei! ò pretiosus thesaurus, quo me redemisti, æterne Salvator! quam me ab æterno dilexisti! ut pro me ita volueris vulnerari, conteri, affligi, pungi, excruciaci, etiam potius extringui, quam me perire sineres.

O Salutaris hostia! quid retribuam tibi pro omnibus quæ retribuisti mihi? en ego me ad te converto, te ferventer redamandi cunctaque, quæ me à tuo possint amore abstrahere, evitandi affectu, ac desiderio accedo, quo unus tecum effici merear affectu, voluntate & amore. enim vero spes mea omnis, consolatio & refugium meum tu deinceps eris.